

Q. 158. (11)

25.
II R
4830

CUM DEO!

De
PACTIS CON-

fraternitatis inter Illustres

Personas in genere,

ex auctoritate

Magnifici Jctorum Ordinis,

PRÆSIDE

Nobili, Consultissimo & Excellentissimo

Viro

DN. GOTHOFREDO SVEVO

J. U. D. & P. P. Celeberrimo, Curia Provincialis,

quæ hic est, & Scabinatus Assessore Gravissimo, Præ-

ceptore atq; Patrono suo omni pietate & cultu,

eoq; perpetuò, observando,

in Auditorio Jctorum

disputabit

JOHANNES LEONARDUS SAUTER Lipsi

A. & R.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LIII.



76.51.

CUM TITULO

INSTITUTIONIS

ACADEMIAE

PHILOSOPHICAE

ET

THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS

ERFURTENSIS

LIBRARIUS

ET

SECRETARIUS

ACADEMIAE

PHILOSOPHICAE

ET THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS

ERFURTENSIS

LIBRARIUS

SECRETARIUS

ACADEMIAE



I. N. J.

Imperiorum ac Illustrium Famili-
liarum dignitas, quemadmo-
dum in Rebus publicis, quæren-
da sollicitè est; ita non minoris
esse virtutis ac privilegij existi-
marim, prospicere iisdem de diuturnitate
æ robore. Non enim quod magnum &
illustre, idem & validum semper est; mole
suâ sæpe affligitur, quod in istud fastigij pro-
ductum est, ut cætera ex alto despiciat.
Quare laborandum in id quoque est, ut, quod
Imperium, quas illustres familias sanxit fe-
licitas, diuturnitas ac robur quoque confir-
ment, ne si sterilitas thori destituit eas, cadat
& stemma illustre, & ceu pro derelicto ha-
bita dignitas, cedat occupanti. Quid? quod
triste satis & deplorandum sit non ipsis so-
lùm subditis, sed & Dominis videre antiqua
Majorum prædia ac castra devolvi ad ex-
teros. Hinc, cùm morti in nos sit impe-
rium,

A 2

rium,

rium, quæ sæpè totas familias populatur,
ritè prospectum principatibus & illustribus
familijs est, per confraternitates ac pacta
gentilitia, quæ in solatium ditionum ac ter-
ritiorum suorum Illustres personæ mu-
tuò solent pangere. De quibus stricto, quo
adfieri poterit, acturi in præsentem calamo,
vehementer petimus, ut ætatem si quid mi-
nus dextrè positum fuerit, excusent illi, qui
hoc nostrum, quicquid est, aspicere non de-
dignabuntur.

THESIS I.

Atq; hic à ratione appellationis, & ab origine vo-
cis sollicitè indaganda & ab iis, in quibus Philologorum
opera plerumq; consumitur, absolvit nos perspicuitas
vocabuli, quo nostræ argumentum tractationis nota-
tur. Illud est Confraternitas. Circa homonymiam
tamen quædam observanda esse putarim; Ea enim vox
non uno accipitur sensu, quæ quippe in multiplici sit
differentia, attestante *Petr Salazare Hispan.* de usu &
consuetud. c. 8. n. 22. & seqq. Interdum enim denota-
tur per Confraternitatem Societas hominum religio-
forum, qui invicem audiunt, Fratres certi ordinis, de
quibus *Waremundus ab Erenberg in Medit. de fœderi. l. 1.
c. 4. n. 12.* qui quidem ordo, cum nihil commune habeat,
cum pacto confraternitatis successorio, nec huc ali-
quid facere seu spectare manifestum est. Exempla ta-
lium

lium confraternitatum nonnulli Principes, Reges, & civitates instituerunt; ut earum præsidio juxta ac privilegio sibi magis provisum adversus hostes esset, quas singulari nomine ac titulo insigniri voluerunt, Equites puta, germanicè Ritter/quasi Dritter/das sie selb dritt geritten/*Iust. Ritter. l. 1. Inst. feud. c. 3. n. 9. in fin. Nolden. de nobilitat. c. 3. n. 45.* Ejusmodi societates Gallis Ordines, Italis à Baltheo equestri è collo gestari solito, Dicollana dicuntur, nobis equites torquati; Vid. *Limn. lib. 6. c. 2. n. 14.* Alia Fraternitas est præterea ex societate juratâ, quæ à quibusdam privatis contrahitur, quando conveniunt de se tractandis ut fratribus eamq; conventionem juramento reddunt sanctam; *Jason. in l. quidam cum filium n. 5. vers. item istam legem ff. de V. O.* Et hi dicuntur, Geschworne Brüder/imò ipsa societas jus quoddam Fraternitatis infert; *l. verum 63. in pr. ff. pro socio.* Talis autem Fraternitas & Societas utroq; jure nulla esse jubetur, nec jus successionis communicat, cum non sit neq; naturalis, neq; civilis *text. in l. jura sanguinis ff. de R. I. & in l. jus autem agnationis ff. de pactis.* Et hoc quidem de pacto universalis ratione omnium bonorum procedit; Secus est in pacto particulari super quibusdam rebus post mortem relinquendis; nam tale pactum validum est, quia in residuo superest liberum testandi arbitrium; *Gail. l. 2. obs. 126. n. 7. & 8.* Et ita nulli dubitamus, differentiam inter hanc fraternitatem, & nostram Successoriam Principum perspicuam esse juxta ac planam.

THESIS II.

Expunctis itaq; his Fraternitatibus rectâ accessum facimus ad ipsam Confraternitatis nostræ Definitionem, quam perhibemus esse: **JUS SUCCESSIONIS**

A 1

NIS

NIS reciproca in casu deficientium legitimorum hære-
dum, ex pacto inter Illustres personas acquisitum;
quod vulgo nuncupari consuevit **Erbverbrüderung /**
Erbvereinigung / Græcè ἀλληλοκληρονομία. Quæ qui-
dem duo germanica vocabula malè confunduntur, se-
cundum *Limn. l.4.c.8.n.126. Petr. Ritter. d. confrat. tb.ii.*
l.6. posterius quippe latius est, nec solum denotat die
Vereinigung die wegen des Erbes geschicht / sed etiam
quaslibet conventiones, quæ hæredem sequuntur, &
inter familias perpetuo nexu contractæ sunt; unde à
priori sejunctam omninò volumus. Est autem illud
hæreditarium, nec tantum eos, qui pepigerunt, sed suc-
cessores quoq; eorum obligat, cum præsumantur haud
diversi affectibus & inclinatione cum prædecessoribus
esse; *Schönb. l.2.pol 13.* quid quod alias pacta & contra-
ctus Antecessorum in Imperio Successores obligent, si
cum Reip. commodo atq; utilitate inita fuerit con-
ventio; *Herm. Vultej. conf. 35. n. 116. vol. 3. consil. Marpurg. Nat-*
ta conf. 122. Matth. Wesenb. conf. 109, n. 19. surrogatum quip-
pe sapit naturam ejus, cui surrogatum est; *l. si eum § qui*
injuriar. Gæd. conf. Marp. 26. n. 144. vol. 1. Et facta nec non
contractus Principium demortuorum, præsentium
principum esse censentur, cum Resp. semper existat
eadem; *Bald. Conf. 326.* Et ex conventionem Antecesso-
rum hæredes æquè obligantur *l. 2. §. ex his ff. de V. O. Novell.*
48. in prin. Et facti defuncti nulli hæredum contrave-
nire fas est; *l. cum à matre 14. Cd. rei vind. l. 24. C. de donat.*
quod & ipsissima Confraternitatis Hassiacæ verba ma-
nifestè innuunt circa finem: Und daß diese Vorgeschries
bene und erneierte etc. Hoc tamen adhuc circa voculam
SUCCESSIONIS in nostra Definitione est notandum,
restr-

restrictam eam scilicet esse, ad anomalum jus succedendi, quod neq; ex testamentaria dispositione neq; ex causa intestati, sed pacto & speciali statuto vel lege competit; quemadmodum aliàs in genere pacta talia non in vim ultimæ voluntatis, sed contractus, mutux obligationis, legis & statuti, & cæsarea auctoritate subsistunt; *Gail.l.2.observ.127.n.9. & obs.226.n.2.*

THESIS III.

Cæterum, uti brevitatis proposita nobis maximè in hac proluxa alioqui & admodum porrecta materia est: ita sollicitè hîc non lustrabimus diversitates atq; discrimina, per quæ Confœderatio & Confraternitas à se invicem dispescuntur. Sufficiet nobis hoc unicum, & fortè non minimum, attigisse discrimen, quod Imperator expressè in pacto Confœderationis, *der Erbverbrüderung* / quod pro militari defensione uniuscujusq; paciscentis initur, excipiendus sit. Ejus quippe persona in omnibus statuum Imperij fœderibus exesse jubetur, prout innuit *textus in art. 1. & l. 2. Wo Fürsten und Herren mit Eiden zu sammen schweren.* In pacto autem Confraternitatis *der Erbverbrüderung* minimè. In quo scilicet pacto successioni attenditur, quæ Imperatorem verò attingere nullo modo potest. Quin Ipse potius illa mutux successionis pacta, tanquam legitimè & in emolumentum Imperij inita suâ auctoritate & privilegio potestatis confirmare ac stabilire debet *Arum. Exercit. 2. Tb. 23.* Quod ut plurimum Feuda regalia in eo deducantur. Permultum autem refert Imperatorem exactam suorum Vasallorum habere conscientiam, ne deterior sit privato quolibet, cui, ne invito aut ignoranti suus agnascatur hæres, legibus cautum pariter atq; provisum

visum est. Quid, quod aliàs Feudum sine consensu Domini à Vasallo alienari non possit *Ritter de confrat. thes.*
3. In Allodialibus autem non tam necessarius est Ejus
Consensus. *Besold. d. Reg. success. dissert. 13. n. b.* Nec in aliis
Principum & statuum Imperij foederibus *Magnif. Dn.*
Carpzov. in Leg. Reg. c. 6. sect. 6. n. 13. cum Martino Majero à
Schönberck de Advocati armata c. 6. n. 196 Auctoritatem
Imperatoris usque adeo necessariam esse statuit, dum-
modò pacis publicæ gratiâ fuerint percussa, quavis con-
firmationem ab Imperatore sæpius requisitam fuisse,
se minimè negare asseveret, non quidem ad validitatem
sed, ut ille ait, ad fortiorem subsistentiam, Coeterum
in pactis Successoris auctoritas & confirmatio Impera-
toris votum captandæ alienæ mortis ejusve opinionem
elidit penitus, & argumenta vigorem horum pactorum
convellere conantium intercipit juxta atque enervat.
Nō quidem tam superstitiosi sumus, ut Electores & status
imperij ceteros incapaces hujus arbitrij ac potestatis pro-
nuntiemus & à confirmatione istâ prorsus excludamus
quippe quos non fugiat tritum illud ac tralatitium: Eos
tantum posse in suis Territoriis, quantum Imperato-
rem in Imperio; *Gail. l. 2. obs 57. l. 1. de pace publ. c. 6. n. 10.*
Wesemb. cons. 40. n. 44. Quamvis *Limneo* displiceat hujus
Regulæ generalitas *lib. 4. c. 8. n. 8.* Attamen honorem
hunc dignitati Imperatoris dandū omnino esse, & hanc
confirmandi potestatem olim maximè, præcipuam &
propriam ei fuisse, dicemus. Hodie autem circum-
spectius ajunt Principes de mutuâ successione pa-
ciscentes, si desuper non saltem Cæsaris Confirmatio-
nem, sed & reliquorum Imperij statuum vel saltem Ar-
chiprincipium Electorum consensum & approbationē
requi

requirant, ne per indirectum in Capitulationem impingendo, ejusmodi confraternitates ac pacta impugnandi, sollicitandi certè, subministretur occasio, cum hodie per Capitulationem potestas Imperatoris ita limitata sit, ut is solus de feudis immediatè Imperio apertis alios denuò investire nequeat *Magnif. Carpzov. L.R. c.6. sect.7. n.38. & seqq.* Cæsaris porrò confirmatio robur pactis tribuit, etiamsi alias de jure communi non subsisterent, quia Princeps jure positivo non obligatur, sed ei licitè derogare potest per *Text. in l. digna vox C.d. ll. & in l. princeps ff. eod. t. Dd. in l. fin. C.d. const princ.*

THESIS IV.

Nunc ad ea descendamus oportet, quæ Confraternitati nostræ nigrum aliquod theta præfigere non tantum, sed eam quoq; ceu in detestandum omen unius atq; alterius interitus & libertatis testamentariæ excidium natam, adeoq; è principatibus proscribendam tantum non esse. Subministrari nempe eapte occasionem, alterius vitæ insidiandi, votumq; adeo captandæ alterius mortis lentè introduci; *l. ult. C. de pact.* Liberam præterea testandi facultatem auferri paciscentibus; *l. 15. C. de pact.* Cum tamen supremæ voluntatis liber debeat esse stylus, liberumque arbitrium; *l. 1. C. d. SS Eccl.* Hinc talia pacta de jure improbari; *d. l. 15. l. ult. C. de pact. l. 3 C. de collat. l. 61. ff. de V.O.* Neq; consistere, licet jurejurando sint vallata; *arg. l. non dubium C. de ll. Didac. Covar. in rubr. de Testam. part. 2. n. 15.* Prohibitam insuper feudorum alienationem per constitutiones Lotharij & Friderici Impp. ex quo nullam Defuncti ordinationem de Successione in Feudis subsistere; *tit. 8. lib. 1.* Nec non Improbum dici illum, qui de hæreditate viventis sit sollicitus; *l. 2. §. interdum ff. de vulg. & pup. Subst. Schneid. ad §.*

B

item.

item si quis postulante. Inst. de action. Et in illo quidem argumento, quo votum captandæ alienæ mortis detestabile dicitur, prolixius, atq; in cæteris, opera eorum, qui contrarium propugnant, consumitur. Historiarum quippe monumenta declarare satis, nullos frequentius tentasse alterius vitam, fortunas, sibiq; invicem posuisse casses, in quos se impedirent: quàm ipsos Imperatores, Reges ac Principes, vel ambitionis, vel avariciæ, vel dilatandi Territorij æstu accensos. Betsius verò primario propugnat, quod, cum non tantum in privatis, sed potius in Principibus ac Illustribus personis dominetur vesana illa imperandi libido, & inde surgens improbum illud votum captandæ mortis alterius, non immeritò, sed summâ ratione atq; prudentia rescripsisse Valerianum & Gallienum, & Valerianum Cæsarem Cajano militi, *l. d. fideicom. xi. C. de Transactionibus* Fideicommissum à patre inter liberos fratris vicissim datum, si alter eorum sine liberis decesserit, ut ei alter succedat transactione interpositâ rescindi posse, quod hoc modo improbandum votum captandæ alterius mortis removeatur. Hactenus Betsius. Sic notum est, quantum Veteres fuerint solliciti in substitutione hæredum; cum scilicet Testatores securitatis causâ, ne filio, seu legitimo hæredi, insidiæ struerentur à substituto, si is sciret, se secundum hæredem esse, nomen ejus subscripserunt in inferiore parte Testamenti, quam vetuere vivo pupillo aperiri peculiari lino obstrictam, & propriâ cerâ obsignatam. Et hoc vocabant Veteres *Ima cera* aliquem scribere hæredem.

TH. V.

Nos vero cum hoc mutæ successionis pactum, non tantum pro licito legitimoque, sed insuper necessario

rio, ut instar alicujus columnæ inclinantes dignitates ac nomina fulciat, reputemus, ad singula objecta, quoad fieri poterit, brevissimè respondebimus. Atque, quod votum captandæ alterius mortis attinet, execrandum illud verò quàm maximè est, utpote, quod omnibus juribus, atq; ipsi dictamini rationis juxta ac luminis naturæ obicem pōnit. Num autem illud per amicabilem hancce confraternitatem introducatur, dispiciendum nobis in præsentem est. Cæterum uti perparcè de Illustribus; & quos altè nascendi posuit conditio, judicandum pariter ac loquendum est, nedum sinistra de iis, (ubi nihil videlicet adhuc, quod Te impellat, suppetit argumenti) concipienda opinio est; sic miror sanè potuisse hoc sibi sumere controvertentes hoc mutua successionis pactum, ut judicare de illis temerè, quos sua germana integritas fidesq; omnibus probata populis, absolvit, fuerint ausi. Quod si enim non parum interest, si instituas de vitiis loqui, atq; in aliis, aut metuere aut reprehendere eadem, circumspectum penitus ac cognitum habere gentis populiq; ingenium, sanè ex indole Germanorum, ac Virtute, id metuumdum minimè est; quia pleriq; inter Germanos boni sunt, & principum Germaniæ genius voti sinistri suspicionem tollit omnem. *Nic. Bets. Frid. Pruckman. Vol. 2. Conf. 9. n. 140.* Quin potius pactum hoc celebratur eò, ut extra discordiam, extra ullam opinionem aut similitatis aut invidiæ utrorumq; posita fortuna sit, ac gloria; Adeoq; longâ spe diuturnitatis pacificè vita transigatur, fataq; differant potius ejusdem terminum, quàm ut dissensionibus eundem sibi temerè accelerent. Atamen fac sic esse, quosdam è principibus affectibus indulgentes inhiare alterius vitæ ac opibus, rationemq;

cupiditatibus suis postponere; certè in integris familiis, sibi mutuo successionis pacto substitutis, extantibus undiq; pluribus agnatis, detestandum captandæ alienæ mortis votum, seu voluntatem, seu potestatem spectes, non tam facilè præsumendum inde est, ut in singulis personis; *Bets d.l. § 122.* Atque, ut uno verbo, quod res est, declaratum faciamus, concludimus cum *Limnæo, l. 4 c. 8 n. 159.* Votum captandæ alienæ mortis non ex jure, vel spe futuræ nasci successionis, sed ex hominum malitia, quæ tamen & ipsa in omnibus una non est. Ex quo liquet, pactum hoc probum esse votum, illud verò, quod captandæ alterius mortis accidentaliter inde surgere potest, improbum ac detestandum. Jam vero non ex accidenti & eventu rei metimur, justum & injustum quid sit, sed ex ipsius rei, qua de agitur, natura & indole, uti eleganter de eo disputat *Job. Limn. d.l.*

TH. VI.

Nec quidem sollicitat immotam hanc Principatum columnam alterum, quo facultati testandi, cujus liberrimum debet esse arbitrium, *l. i. C. d. SS. Eccles.* videtur præscribi. Non enim hoc pactum planè ita se exhaurit, ut non disponat aliquid adhuc de se & opibus, defalcando. Ultimo quippe decedenti potestas minimè denegatur conficiendi testamenti, sed reservari solet certa summa; quæ in Confraternitate Ducum Saxonie & Landgravorum Hassie est 30000 flor. *Doch soll dasselbe Testament über 30000 Gulden nicht sein.* Et licet certa summa facultati testandi reservata haud esset, non minus tamen pacta hæc subsisterent, cum in jure absolum non sit, ut per indirectum saltem facultas testandi alicui adimatur, prout fieri videmus ei, qui se arrogandum permittit, aut monasterium ingreditur; *Auth. de Monach*

Monach. Ingressi. C. de ff Eccles. Quid? quod juri privato in multis a jure publico derogatur adeo, ut sæpè à regulis juris recedatur, quoties publica id postulat salus *Barthol. in l. quemadmodum C. de agric. etcens.* Adde quod hæc pacta à Cæsarea Majestate non tantum sint confirmata, sed etiam diuturna consuetudine temporeq; immemoriali approbata eadem, nec Imperatoris aut aliorum dissensu unquam fuerint impugnata; Hinc pro licitis merito reputanda, nec legibus contrariari ulla ex parte existimanda sunt *arg. l. 1. C. quasit longa Consuet.*

THESES VII

Argumentum præterea à Feudis ipsorumq; jure deductum obvertit adhuc nostræ Confraternitati, quo prohibitam Feudorum alienationem per Const. Lotharij & Friderici Imp. assertitur, nullamq; ordinationem defuncti in feudo reperire locum *1. Feud. 8.* Illud enim eodem modo verum est, si formam in successionebus usitatam immutare quis, aut aliud quid circa rem & jus alienum inducere velit, sive confirmando sive infirmando. In nostro verò casu successio Feudalis nequaquam immutatur, nec quidquam dispositum est, quod succedentium jus infirmet. *Limn. l. 4. c. 8. n. 150.* Feudorum porro alienatio non omnino interdicta est, sed ita, si fiat sine consensu Domini; *Lit. 55. 2 Feud.* Jam verò ipse Imperator, ut pote Feudorum Dominus, Confirmatione suâ ostendit. se ratam habere hanc ad alios feudorum translationem; quin imo feuda hæc in confraternitatem deducta, non tam vi pacti, quam amore Domini, cujus confirmatio accessit, transferuntur. *Limn. l. 4. n. 8. n. 154.* Inde quæ circa bona allodialia sese nobis opponunt, convelluntur. Pactis scilicet non dari hereditatem, si nimirum extraneos respicias; at vero Confratres

Principes, propter confraternitatem, extranei audire non possunt *L. l. 8. §. 1. ff. de her. inst. Zas. cons. 1. n. 39. licet pacto aut statuto veri naturales fratres fieri nequeant, cum jura sanguinis sint immutabilia; text. in l. jura sanguinis ff. d. R. J. & in l. jus agnationis ff. de pactis.* Adeoq; hoc Pactum minime esse contra bonos mores intelligendum ex eo est, quod militibus concedatur; eos autem à bonorum morum observatione nullum privilegium eximere possit; *arg. l. 41. ff. de Test. mil. l. 2. ff. de re milit.* quippe qui milites & pro salute Imperij excubias agere, semperq; Imperatori militare dicuntur; *Andr. Gail. obs 127. n. 9. Reusn. cons. 3. n. 36. Hottom. cons 72. n. 41. & seqq.* Notandum tamen & hoc est, pacta hæc successoria in vim contractus, non in vim ultimæ voluntatis sustineri, tunc autem in vim contractus valent hæc pacta si quis nulla factâ successionis mentione simpliciter alteri bona sua post mortem promiserit *vid Hartm. Pistor. p. 4. quest. 2. & 3.* Ad extremum concludimus, quamvis sic se habeant in privatis personis omnia, quæ de pactis successoriis hic adducta sunt, malè tamen ad pacta principum & Illustrium Personarum accommodari.

TH. VIII.

Nunc, ut mutux hujus Confraternitatis & pacti successorij exempla nonnulla subjiciamus, videtur omnino necessarium esse. Unumquodq; enim, quam dextrè & accuratè id pertractes, fidelius se tamen nostræ subinde ingerit cognitioni, si ceu in tabulâ coram spectandum proponatur. Conspicuum itaq; maximè inter cætera successionis pacta videtur esse illud, quod Duces Saxonix cum Landgraviis Hassiæ inierunt, cui ansam omnino præbuit novem annorum bellum, quod Henricus Illustris dictus, gessit cum Sophiâ Ludovici Landgr.

Landgravii Hassia & R. Elisabethæ filia, desponsata Du-
ci Brabantino Anno 1268, confirmante Rudolpho I. Im-
peratore. *Chytraeus in Chron. Sax. lib. 18. fol. 534. Arum. disc.*
6. ad A. B. Cujus quidem pacti operæ precium est præ-
cipua membra atq; articulos recensuisse. Cautum itaq;
(1) est, ut, si alterutra domus sine justis ac legitimis liberis
decederet, ipsa in alterius potestatem cum omnibus
mobilibus & immobilibus bonis concederet, (2) ut Ho-
magium utrâq; ex parte præstaretur. (3) Civitates literis
se obstringerent. (4) Occupantes pristinis juribus ac
privilegiis paterentur orbos apud se esse cives. (5) fœ-
mellas nondum collocatas 24000 florenis, & quidem
singulas, dotarent. (6) Castra deniq; & urbes nunquam
inaccessæ, semper apertæ recepturis se eò Dominis su-
perstibus reliquerentur, & hæc fere primaria Capitu-
lationis membra conspiciuntur. Caterùm, de ejus-
dem Confraternitatis natalitio ultrô citroq; controver-
titur. Quidam annum 1373, constituunt. *Nicol Reusn.*
l. 1. conf 3. n. 45. Job. Lim. l. 4. 22. pub. c. 8. n. 161. Renova-
tum autem id est Anno 1554. Naumburgi. Pactum deinde
tale confraternitas percussum inter Archiduces Austria &
Reges Bohemiæ est. *test. Chopp, de doman. lib. 1 n. 6.* Du-
ces præterea saxonix & Principes Hennebergici Anno
1554. pepigere quod Carolus V. confirmavit, teste Mo-
linæo in addit, ad Decium conf. 516. Cujus subsequutus
fuit effectus Anno 1583. Ubi familia Henebergica extin-
cta Comitatus Hennebergicus ad Saxonix Duces tran-
status est. Eodem familiari jure quoq; utuntur Duces
Bavariæ & palatini principes, tum in legitima bonorum
suæ gentis successione tum etiam in Electoris imperiali
munere, quod vicissim Ducibus Brvaricis ac Palatinis
avorum instituto tribui oportet, quæ jura Bavariæ Dux
ut reno-

ut renovarentur, ad Imperiales Augustæ conventus ro-
gationem superioribus annis tulit. Hactenus *Bodinus*
1. de Rep. 2. Et hæc quidem exempla nostræ Confrater-
nitatis sufficiant in præsentem. Nos ad causam finalem
horum pactorum descendimus.

TH. IX.

Quæ cum norma quædam sit, ex qua actiones de-
terminari consueverunt, rectè ad eam accessum faci-
mus. Est itaq; ea salus, diuturnitas atq; tranquillitas
Reip. Cujus, uti suprema lex esse debet *Cic. 1. offic.* Ita
omni studio ac industriâ prospiciendum primario ei-
dem de diuturnitate est. Creverit enim eadem per
gradus ad altissimum culmen, multorumq; annorum
felicitas firmam opibus, copiis locupletem, gloriâ am-
plam reddiderit eandem, cui tamen, nisi sua quoque
constet pacata tranquillitas, aut si infelicitate Thori
defectuq; hæredum masculorum labore, quid obstat,
quo minus ab interitu illa, ab oblivione pristini no-
minis ac famæ tantum non propè absit. Quapropter
Reges ac Principes improles ordinare non tantum in
præsens territoria sua atq; Rempublicam dextrè, sed
iisdem quoq; de talibus prospicere successoribus de-
bent, qui relictam videlicet promerentur dignita-
tem, & ex se talis successionis prærogativâ digni sint.
Non enim fatale est, ut ea dignitas semper in merentes
cadat, ac dignos; quid? quod talis certo successore
carens & ceu pro derelicto habita dignitas armatura
temeritatem illorum sit, qui ambitu alioquin flagrant,
ut occupent orbem illud seu Regimen, seu territorium
Principis, & sic errore potius, quàm destinato utrinq;
consilio succedant. Luctuosius equidem quid hac ra-
tione subditis talibus evenire queat, non capio. Re-
ctissimè igitur consultum putamus tantis dignitati-
bus

bus, pariter ac subditis, si maturo consilio, & quo de cogitare prolixè prius, ne quid festinatione pceces, conceditur, eligas condignam aliquam & respondentem & meritis, & gloria, & virtute familiam, cui legere vestigia tua & capessere Tui Territorij imperium, si Te extra spem liberorum positum videas, omnino fas sit; hoc enim modo non tantum gnarus tui successoris es futurus, sed etiam ex hac stabili successione, defensione, fide & concordia fraternâ, familiæ Tuæ senescentis splendor & dignitas conservabitur, *Schonb 2 pol. 13. Cassp. Güttich. de confrat. concl. 7 lib 6. Remig. Fesch. de fœd. concl. 24. lit. g* Interest autem Reipublicæ maximè dignitatem amplificari, *l. 1. §. 13 ff. de vent. inspic Job. Bodin. l. 1. de Rep. c. 2.* Usq; adeò, ut huic intentus publicæ utilitati prospicere dicatur; *Angel. Perus. conf. 68. n 4.* Si enim in genere de Confœderationibus rectè dicitur, eas multum operari *Cuno de pact. l. 1. c. 24. n. 164.* Venenum Reip. paratum extinguere, vitamq; ejus prorogare; *Wareremund. de Erenberg. d. fœd. l. 1. c. 1. n. 69.* verissimè quoq; conveniet fœderibus confraternitatis, quibus paciscentes tali affectu copulantur, ut sibi propriam salutem & omnia concedant; *And Tiraq. in l. si unquam verb. libertis n. 92. & seq. C. de revoc. don.*

TH. X.

De cœtero, dispiciendum paulisper est, an ad similitudinem horum pactorum, privatis quoq; concessum sit, ita mutuo inter sese pacisci. Autores certe in hac quæstione adeò in divortia sententiarum abeunt, ut certi aliquid statuere velle, periculosum omnino & instar lubrici sit, quo quis temerè labatur. Quidam statuendi & disponendi in civilibus iis tantum indultum existimant, qui jurisdictione gaudent Alij

C

rursus

rursus facultatem hanc ex privilegio jurisdictionis de-
pendere minimè opinantur, adeoq; privatas familias
in successioneibus disponere non posse propugnant.
Qui fundamentum, cujus vigore successiones hæ su-
stineantur, constituunt Jurisdictionem, sunt ferè *Bar-*
tolus, in l. omnes populi in 1. quest. ff. de just. & jur. Bald. in
l. si quis iniquum §. 1. ff. quod quisq; juris. Socin. in l. 1. ff. de
jurisd. omnium jud. Salicet. C. de jurisd. omnium jud. & in
l. decernimus C. de SS. Eccles. quo quidem fundamento
posito, negandum haud est privatis minimè hanc fa-
cultatem competere, utpote qui omnem jurisdic-
tionem nesciant. Sublato autem principali & accesso-
rium tolli necessum sit. Alij autem pro sua sententia
urgent, *l. omnes populi ff. de J. & J.* qua continetur,
quemlibet populum, & quamlibet universitatem sta-
tuere de iis negotiis posse, quæ ipsos solummodo at-
tingunt; jam vero esse notissimum, omnes populos
jurisdictionem minimè habere, inter quos *Crotus co-*
lum. 4. d. J. & J. Campegius in tract. de dote part. ult. quest. 79.
Guido Papa cons. 131. Socinus cons. 62. lib. 3. & c.

Cæterum, communis ferè opinio tenet, quemlibet
populum, sive jurisdictione munitus sit, sive non, sta-
tutorum factionem habere, ideoq; familiam quoq;
tanquam populi partem argumento, *l. que tota ff. de rei*
vindic. Contra hoc insurgunt alij, & dicunt, successio-
nem esse juris publici, & privatorum factionibus im-
mutari haud posse, *l. jus publ. ff. de pactis.* Ac licet quis
rei suæ liber moderator ac arbiter sit, *l. in remandata C.*
mandati; quando tamen post mortem disponere ve-
lit, speciali id legis indulgentia concessum esse Interpp.
in l. 1. C. de SS. Eccles. Nos in hoc sententiarum divortio
putamus, privatas ejusmodi familias omni jurisdic-
tionē

ne carentes, nec alioqui Statutorum conficiendorum
potestatem habentes, proprias successionis leges sibi
mutuo condere non posse. Quod si verò Principis con-
firmatione jam conditæ Successionis leges robur ac-
ceperint, sustineri eas, non quidem ex suo vigore, qui
nullus est, sed ex dispensatione Principis, qui uti, pro
potestate legibus exemptâ, civilibus aliàs derogare le-
gibus potest; ita & huic quibit omnino. Citra ejus-
dem vero confirmationem omnia privatorum de mu-
tua successione pacta irrita & nullius esse momenti ex-
istimamus, *arg. l. si quid extraordinarium C. de legationi-
bus, Bald. l. inhumanum in 4. notat. C. de ll. & in l. fin. C. de
jurisd. omnium jud.* pertinet huc Ganerbinatus ex pactis
& conventionibus existens, quibus superioris accessit
auctoritas ac confirmatio, spectans ad diversas familias,
quæ jure confraternitatis inter se coaluerunt, ita, ut de-
cedente quodam, alius ex eadem familiâ legat ejus ve-
stigia, aut si detrectet, portio deficientis accrescat cate-
ris condominis; *Schönb. l. 2. c. 13.* Equidem Confoedera-
tio hæc primitus honestissima de causa instituta, tan-
dem in pessimum degeneravit statum, robur quippe
sumente eorum potentia cœperunt controversias du-
ello dirimere: (*Da das Faustrecht im schwange gieng*)
alios invadere ac opprimere, recepto in consortium
profligatissimo quovis, & qui in bannum Imperij inci-
disset, donec tandem improbitas illorum publicis Im-
perij constitutionibus coërcita est, constitutâ gravissi-
ma pœna in Receptatores. *Recess. August. de Anno 1500. &
in Recessu Wormat. 1495.* TH. XI.

Tandem possemus ampliter disquirere, utrum talia
confraternitatis pacta semel dextrè & secundum for-
mam competentem percussa indigeant quadam reno-


44
TK
4830

vatione, simul ac Antecessores posuere vitam, succes-
foresq; ad regnum seu Principatum aspirant; prolixè
itidem de ritibus, qui in pactionibus talibus solemnes
esse consueverunt, inquirere, num scilicet omnium
præsentia Principum necessario requiratur, an vero
Consiliarij supplere Absentium personam possint, de
sensionibus porro ac jure proëdriæ, de sanctione & con-
firmatione juratoriâ, annon sufficiat stipulatâ manu
promittere, cum nuda Principum promissio longè
sufficiens videatur, quippe quorum verba multorum
instar testium esse debeant cap. cum à nobis extr. de
rest. nec à cautione juratoria liberare eo, possit formu-
la, bey Fürstlichen Ehren/wahren Worten / Trew und gu-
ten Glauben/ de subscriptione præterea & subsignatio-
ne partium, de bonis, quæ his pactis confraternitatis
propriè comprehenduntur, nec non de jure cuilibet
familiæ in bonis alterius irrevocabiliter quæsito, quod
nec per testamentum, nec ullam dispositionem minui
& inverti potest, *Job. Casp. Gütlich. de confr concl 8. l. d.*
Reincking. dict. cap. 8. n. 19. De præstatione homagij, quæ
ab utriusq; partis subditis exigitur, prolixè juxta atq;
diffusè agere possemus, sed, cum nobis ab initio statim
propositum fuerit, succinctè de hac materiâ agere, & ea
saltem membra attingere, quæ augustiora videbantur
esse, merito nos hic disputationis filum abrumpimus

COROLLARIA

1. *Academiis vñ Auth. habitis C. ne fil. pro patre Merum Impe-
riumbaud competit.*
2. *Principes ac status Imperij fœdera inter se jure contrahunt.*
3. *Eur rupto laqueo de patibulo cadens: jure iterum suspenditur.*
4. *Judex secundum acta & probata judicabit. non tamen contra
conscientiam.*
5. *Donatio omnium bonorum valet.*

1017 1017
m.c



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

